



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bibliotheca Scriptorvm Sacri Ordinis Cisterciensis Elogiis Plvrimorvm Maxime Illvstrivm Adornata

Visch, Charles de

Coloniæ Agrippinæ, 1656

Epistola XVII. Ad Consanguineum suum Dionysium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38433

mosynâ, & Fr. L. de Curia Dei, salutē, (a) & sinceræ dilectionis affectum. A nostris vilitatibus non recedit, quod vtiliter accessit vobis Amicorum. Hoc habet amicitia proprium, vt sit ei suavis & iucunda possessio, quidquid à suis possessoribus possideret. In sinum gratiæ vestræ dilatato corde, & affectu prompto, Magistrum Girardum benignius collegistis; vicissitudinem quam potuit, retulit amicus, fidelis inuentus est, factus est strenuus propugnator iustitiæ vestræ, & operum vestrorum præconator eximius: nec sibi pepercit nec suis, vt vobis proficeret, & totum se vestris sic impendit vobis, & gratiam rependit pro gratiâ, vt nihil sibi latum proponeret, nisi quod honori vestro militaret & nominari. Si à fructu magno circa vos fidelem eius operam torrens iniquitatis absorbit, non est minori dignus amplexu, si quod voluit implere, non valuit; quia quantum potuit vtilis esse non destitit. Nunc igitur, si in conspectu Principis illius, magnorum suffragantibus meritis, pacem potuit inuenire, esse non debet à cordis vestri conspectibus alienum, sed, vt credimus, in mente vestrâ debet florere cum gratiâ, si apud eum gratiam receperit, cum quo familiaris & fidelis, honoris & pacis vestræ possit inire commercium. Qui enim amicus est, omni tempore diligit, & amicitia certa nullâ vi, nullâ necessitate excluditur. Rogamus igitur dilectam nobis in Christo charitatem V. am & beneuola persuasione consulimus, vt fideli vestro nullius conditionis opponatur dura necessitas, quia sicut ait Ouidius: *Lenis alii flammam, grandior auram necat.* Et æterna sapientia quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, suauiter disponens omnia, & cum magnâ reuerentiâ disponit nos. Bene valeat semper in Domino, vestra sinceritas.

(a) Curia Dei, Ord. Cisterc. Abbatia, de qua supra.

EPISTOLA XVII.

Ad Confanguineum suum Dionysium,

Horretur illum ad pietatem, & virtutes Parentum, & quorundam confanguineorum, nominatim, Abbatis Elnonensis, Auiticuli sui.

Dilecto confanguineo suo Dionysio, Fr. Philippus de Eleemosynâ, salutem in eo qui salus est. Qui maiorum virtutem miratur & gloriam, non inutiliter gloriatur, si mores & vitam studeat imitari. Supervacue quidem de suorum sibi splendore blanditur, qui defectus sui tenebras oculis ingerit aliorum. Paterna namque gloria nos reddit inglorios, cum ab eius vestigijs dissimilitudine resiliamus. Habes domestica pietatis & virtutis exempla, quæ tibi peperit ordinis & sanguinis venusta complexio, quæ itineranti lumen, operanti formam, negotianti poterunt afferre salarium, negotium dico, non quod perambulat in tenebris, sed quo bona quaeritur margarita, distractæ possessionis emenda commercio. Elnonensis Monasterij Pater Frater tuæ Matris, sanctus ille Absolon fuit, qui te à lacte Matris auulsum, primis extulit elementis. & regularis disciplinæ præparauit obsequijs. Hic tibi quotidianus institutor occurrat, actus ordinet, componat affectus, sermones condiat, opera moderetur, & ad omne quod agis, comes & monitor assideat. Non errabis, si conuersationis eius, & operum formam studeas fidelis Peripareticus imitari: fratriter exceeds, & tanto Patri, generi nostro, & indoli tuæ facis iniuriam. Salutem te dilectus Filius noster, Fr. Albertus, confanguineus tuus.

EPISTOLA